Tractatus

PACIS & AMICITIÆ

Inter

CORONAS

MAGNÆ BRITANNIÆ

ET

HISPANIÆ,

Concluſus

Matriti $\frac{13}{23}$ Die *Maii*, *Anno Dom.* 1667.

LONDINI,

Excuſum per Aſſignatos *Johannis Bill* & *Chriſtophori Barker*, Majeſtati Regiæ Typographorum. M. DC. LXVII.

CUM PRIVILEGIO.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

Tractatus Pacis & Amicitiæ inter Coronas Magnæ Britanniæ & Hiſpaniæ.

I.

IN *primis*, Conventum & Conſordatum eſt, Quòd inter Coronam *Magnæ Britanniæ* ex unâ, & Coronam *Hiſpaniarum* ex alterâ parte, ut & inter Terras, Regiones, Regna, Dominia, & Territoria ad Regum prædictorum alterutrum ſpectantia, eiſdemve obtemperantia, Univerſalis, Bona, Sincera, Vera, Firma ac Perfecta Amicitia, Confœderatio & Pax erit, quæ ab hoc die in perpetuum durabit, & tam Terrâ, quàm Mari, atque ubivis Aquarum inviolabiliter obſervabitur: Quòdq; Regum prædictorum Subditi, Populi, Ditionumq; ſuarum Incolæ, cujuſcunque Gradus aut Conditionis fuerint, mutuâ hinc inde operâ, mutuis auxiliis, mutuiſque Benevo-

lentiæ, & Amicitiæ omnegenùs Officiis invicem demerebuntur.

II.

Quòd neq; Regum prædictorum alteruter, neque Dominiorum ſuorum Incolæ, Populi, aut Subditi, quocunque ſub prætextu, ſive publicè, ſive privatim, ullibi Locorum ſive Mari, ſive Terrâ, ſive in Portubus, aut Fluviis aliquid tentabunt, facient, aut fieri procurabunt, quod alteri parti damno, aut detrimento eſſe poſſit; quin altera pars alteram Amicitiâ quàm arctiſſimâ, & benevolentiâ omnimodâ complectetur: Liber inſuper & Securus tam Mari, quàm Terrâ alteri Partium in alterius Regiones, Regna, Inſulas, Dominia, Civitates, Urbes muris cinctas, vel non cinctas, munitas vel non munitas patebit aditus; Necnon in Stationes Navium, & Portus ubicunque Negotiatio & Commercium antehac exerceri ſolebant, ita ut Emptionibus, Venditionibus, & omnegenùs Negotiationibus ubivis loci apud alteram Partem vacare quiſque hinc inde poſſit non minus liberè & ſecurè, quàm Cives ipſi cum ſuis Concivibus, aut Popularibus, aut alia Gens extera quæcunque, cui dicta Partis alterutrius loca frequentare datum eſt, negotiantur.

III.

Quòd Regibus hinc *Magnæ Britanniæ*, illinc *Hiſpaniarum* illud imprimis curæ erit inpoſterum, ut ſui utrinq; Subditi & Populi ab omni Vi, Injuriâ, & Violentiâ invicem abſtineant; & ſiquam fortè injuriam per dictorum

Regum

Regum alterutrum, ejusve populos aut subditos, populis aut subditis alterius inferri contingat, sive contra Articulos hujus Confœderationis, sive contra Juris & æqui rationem, Literæ Repressaliarum, Marcæ aut Contramarcæ eam ob rem ex parte alterutrius Confœderatorum haudquaquam emanabunt, nisi tentatis prius, & sollicitatis Juris & Justitiæ remediis ordinariis: Juris verò & Justitiæ Beneficio vel dilato, vel denegato, Rex ille cujus Subditi aut Incolæ injuriam passi sunt, Justitiam fieri instantius postulabit & urgebit, vel apud ipsum Regem sibi Confœderatum, vel apud Commissarios utriusque Regis nomine constituendos, qui de omnibus hoc genus Querelis & Controversiis cognoscent, easque vel amicâ Transactione diriment, vel saltem juxta Juris exigentiam terminabunt: Sin autem ulterior post hæc mora interponitur, nullaque satisfactio intra sex menses post instantiam factam subsequitur, tum demum Literas Repressaliarum Marcæ vel Contramarcæ Parti gravatæ concedi posse consensum est.

IV.

Quòd inter Regem *Magnæ Britanniæ* & Regem *Hispaniarum*, ut & inter utriusque Subditos, Populos, & Incolas, tam Mari, quàm Terrâ, atque ubilibet Aquarum per universa & singula Regna, Regiones, Territoria, Provincias, Insulas, Colonias, Civitates, Oppida, Pagos, Portus, Fluvios, Crepidines, Sinus, Freta, & Aquarum Fluenta alterutrius Regis Imperio obtemperantia, ubi Negotiatio, aut Commercium ullo antehac tempore exerceri consuevit, libera dabitur hinc inde Negotiandi copia, & Commercia omnis generis instituendi

tuendi & exercendi Facultas, ita ut absque Literis Salvi-Conductus, aut aliâ licentiæ sive generalis, sive specialis formâ, Populi & Subditi alterutrinque possint tam per Terram, quàm per Mare, & aquas lenes liberè navigare, & iter facere in Regiones, Regna, Dominia, Civitates, Portus, Aquarum Fluenta, Æstuaria, Districtus, & alia loca quæcunque Confœderatorum alterutri obtemperantia; Portus etiam quoscunque visum fuerit intrare, & ingredi cum Navibus sive onustis, sive vacuis, aliisque onerariarum, & vehiculorum speciebus quibuscunque; Necnon, ubi intraverint, Mercimoniis cujuscunque demum generis emendis, vendendis, permutandis, ad quantumlibet valorem, seu quantitatem vacare; Victualia etiam, & omne genus commeatum sive vitæ sustinendæ, sive itineri faciendo necessarium æquo & consueto pretio sibi comparare; Navibus item suis, aliisque Onerariis, & Vehiculis tum resarciendis, tum instruendis incumbere; Migrare item loco, & cum Navibus suis aliisque Onerariis, Bonis, Mercimoniis, & Facultatibus quocunque visum fuerit, liberè discedere, sive ad suos redeundum, sive aliò migrandum duxerint sine ulla molestatione, inquietatione, aut impedimento dato, salvis semper hinc illinc Juribus, Vectigalibus, & Portoriis imperandis & solvendis, salvis etiam Legibus & Ordinationibus per Dominia, & Ditiones singulas utriusque Regis sancitis & observatis.

V.

Concordatum itidem est, Quòd Merces, & Mercimonia quæ Subditi Regis *Magnæ Britanniæ* per *Hispanias*

nias aut alia Regna, aut Dominia Regi *Hiſpaniarum* obtemperantia, emerint, ſuiſque ipſorum Navibus, aut etiam aliis Navibus ex mutuo vel conducto ſibi comparatis impoſuerint, nullis omnino Vectigalibus, Portoriis, Decimis, Subſidiis, aut aliis Oneribus ſubjicientur, aut gravabuntur, præterquam iis ad quæ ſolvenda pari caſu ipſi indigenæ, aliique omnes exteri in iiſdem locis Mercaturam exercentes tenentur; Mercatores item, & Subditi prædicti in Emptionibus, Venditionibus, & ſuarum Mercium Contractationibus, tam ratione pretii, quàm in omni vectigalium ſolutione iiſdem ſemper cum Subditis naturalibus Privilegiis fruentur & gaudebunt; Ipſiſque Bona, & Mercimonia ſibi emere, emptaque Navibus ſuis (uti ſuperius proviſum eſt) imponere integrum erit, ita ut eaſdem oneratas poſt Vectigalium debitorum ſolutionem, ne fas ſit ſub prætextu quocunque in Portu detinere, nedum Oneratoribus, Mercatoribus, aut Factoribus, ſive Negotiorum Geſtoribus in Emptione, vel Oneratione iſtiuſmodi Bonorum occupatis litem, aut controverſiam ullam poſt Navis diſceſſum ſuper ullâ re Navem, Bona, aut eorundem Onerationem ſpectante movere.

VI.

Quò autem Officiarii, & Miniſtri Civitatum, Oppidorum, & Pagorum quorumcunque Confœderatorum alterutri obtemperantium nec exigant, nec accipiant à reſpectivis Mercatoribus, aut Subditis, majora Vectigalia, Onera, Stipendia, Compenſationes, Largitiones, aut aliud quidquam præter ea quæ jure exigi poſſunt juxta Tractatus hujus vim & tenorem, quò Mercatores etiam

etiam & Populi prædicti certò ſcire, & luculenter diſcernere poſſint quid in Re Telonariâ hinc inde pro conſtituto & ſancito habetur, Conventum & Concluſum eſt. Quòd in omnibus ædibus, & exedris Portoriorum Quæſturæ dicatis per Civitates, Oppida, & Pagos quoſcunque Sereniſſimorum Regum alterutri obtemperantes, ubi loci Portoria, aut Vectigalia id genus exolvi ſolent, Tabulæ quædam ſive Indices appendentur, in quibus juſta Ratio, ſeu Taxa Onerum, Vectigalium, Subſidiorum, & Solutionum quarumcunque tam Fiſco Regio, quàm Officiariis Telonii debitarum accuratè deſcribetur, ſpeciebus ſcilicet Mercium tam importandarum, quàm exportandarum ſigillatim enumeratis Taxa ſua conſtabit, & è Regione annotabitur: Quòd ſi Officiarius quiſquam, aut ejus Deputatus exegerit, aut directè vel indirectè, publicè vel privatim à quoquam Mercatorum, aut Subditorum prædictorum ullam Pecuniæ Summam nomine Vectigalis, Oneris, Largitionis. Stipendii, Compenſationis, aut Debiti acceperit, aut ſibi numerari paſſus fuerit, quæ ex dictarum Tabularum præſcripto (quantumvis muneris aut Xenii ſpeciem induerit) haud debebitur, Conſtitutum eſt, Quòd Officiarius ille, aut ejus Deputatus, qui iſto modo deliquerit, Delictique ſui convictus fuerit coram Judice competente in Ditione illâ ubi offenderit, pœna Incarcerationis per tres menſes continuos caſtigabitur, triploque Pecuniæ, ſive Rei alius cujuſcunque iniquè receptæ, contra quam ſuperius cautum eſt, valore mulctabitur, cujus mulctæ ſemiſſis alter Fiſco Regio hinc *Magnæ Britanniæ*, illinc *Hiſpaniarum* addicetur, alter Denunciatori Jure expeditiſſimo adjudicabitur coram competente Judice in Ditione illâ, ubi offendiſſe Delinquens deprehenditur.

VII. Quòd

VII.

Quòd licitum erit & integrum Subditis Regis *Magnæ Britanniæ*, tam in Mercibus importandis, quàm exportandis per *Hiſpaniam*, aliaſque Terras & Dominia Regi *Hiſpaniarum* obtemperantia quæcunque, ubi Negotiationem & Commercia exercere antehac conſueverunt, Mercaturam facere, Merces item omnis generis, Pannos, Res, & Mercimonia manufacta è *Britanniarum* Inſulis advecta, necnon Mercimonia manufacta, Bona, Fructus, & Species Inſulis, Urbibus, aut Coloniis Regis *Magnæ Britanniæ* Imperio Subditis oriundas, ut & omnia illa Bona, quæ à Subditorum prædictorum Factoribus, ſeu Negotiorum Geſtoribus, vel cis Promontorium illud Caput *Bonæ Spei*, (*de Buena Eſperanca* vulgò vocatum) vel etiam ultra illud Promontorium coempta fuerint, venundare & diſtrahere abſque ullâ obligatione ſignificandi, vel manifeſtandi quibuſnam Perſonis, quove Pretio Mercimonia illa, aut Commeatum quem habebant, vendiderint, ut & abſque vexatione, aut moleſtiâ ullâ cuiquam illatâ ob errores qui à Navarchis, aut aliis quibuſcunque, circa Mercium, ſeu Bonorum iſtiuſmodi in Publicas Tabulas Relationem, committi ſolent, Subditi etiam prædicti è Dominiis Regis *Hiſpaniarum* pro libitu ſuo remeabunt, & in quæcunque velint Regis *Magnæ Britanniæ* Territoria, Inſulas, Dominia, aut Regiones, aut in ulla alia, ſi maluerint, Loca, cum omnibus ſuis Bonis, Facultatibus & Mercimoniis, ſolutis prius Vectigalibus & Portoriis juxta præcedentes Articulos exigendis, liberè diſcedent. Portrò ſi quid fortè mercium quas deve-

hunt adhuc reſtat in Portu ubi ſubſiſtunt, quod exoneratum nollent, illud penes ſe detinere, & ſervare, ſecumque in Navibus ſuis, aut Navigiis quibuſcunque auferre poterunt, nihilo prorſus nomine Vectigalis aut Portorii ſoluto, pari omnino cum immunitate, ac ſi portus, aut oras maritimas Regis Catholici nullatenus attigiſſent, aut appropinquaſſent: Omnia denique Bona, Facultates, Merces, Naves, aut alia Navigia intra Dominia & loca Regis *Magnæ Britanniæ* nomine Prædæ adducta, & pro Præda legitima judicialiter pronunciata & condemnata, tanquam Merces & Bona *Britanniarum* Inſulis oriunda, vigore hujus Articuli cenſebuntur & reputabuntur.

VIII.

Quòd Subditi & Vaſſalli Sereniſſimi Regis *Magnæ Britanniæ*, Fructus, Merces, & Mercimonia quæcunque *Indiæ* Orientalis, in quæcunque velint Dominia Regi *Hiſpaniarum* Sereniſſimo obtemperantia advehere & importare liberè poſſint, modò conſtiterit ex Teſtimonio Deputatorum nomine Societatis *Indiæ* Orientalis prædictæ *Londini* agentium, quòd Fructus & Mercimonia prædicta ex Conquæſtubus, Coloniis, vel Factoriis *Anglorum* advecta vel oriunda ſunt, pari prorſus ratione, & privilegio, atque ſecundum formam, tenorem & effectum Ordinationum, & Conceſſionum, quæ in favorem Vaſſallorum Provinciarum *Belgii* Inferioris Fœderatarum in Schedulis Regiis circa Merces prohibitas, ſive Contrabandæ, vigeſimo ſeptimo *Junii*, & tertio *Julii*, Anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſexageſimo tertio Datis, & trigeſimo *Junii*, & quarto *Julii*

Anni

Anni prædicti promulgatis, emanâruht. Quòd autem ad utraſque *Indias*, aliaſque partes quaſcunque attinet, Corona *Hiſpaniarum* omne id conceſſum & impertitum vult Regi *Magnæ Britanniæ*, & Vaſſallis ejus, quod Ordinibus Provinciarum *Belgii* Inferioris Confœderatarum per Tractatum *Monaſterii* Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo octavo celebratum conceſſum eſt, non minus firmiter & amplè, quàm ſi de Capitulo in Capitulum, & Puncto in Punctum, nihilo prorſus omiſſo huc tranſcriberetur: Obſervandis iiſdem legibus, quibus Subditi dictorum Ordinum tenentur, & reſtringuntur, mutuâque amicitiâ hinc inde colendâ.

IX.

Subditi Regis *Magnæ Britunniæ* Negotiationi, Emptioni, & Venditioni Mercium quarumcunque vacantes intra Dominia, Præfecturas, Inſulas, aut Territoria Regis *Hiſpaniarum*, gaudebunt & fruentur Privilegiis illis omnibus, & Immunitatibus, quæ per Regem Catholicum in gratiam Mercatorum *Anglorum* per *Andaluziam* diverſantium, in Schedulis Regiis, ſive Ordinationibus decimo-nono die menſis *Martii*, vigeſimo ſexto *Junii*, & nono *Novembris*, Anno Domini milleſimo, ſexcenteſimo quadrageſimo quinto Datis, Conceſſæ & confirmatæ ſunt; Quas quidem Schedulas ſua Majeſtas Catholica ratihabitas, & tanquam hujus Tractatus partem integralem receptas, & confirmatas eſſe jubet: Quò autem univerſis hoc innoteſcat, concluſum eſt, Quòd prædictæ Schedulæ ſive Ordinationes Regiæ, (quoad earundem ſubſtantialia ſive vim & ef-

fectum) in numerum horum Articulorum migrabunt, & cooptabuntur, & in usum, atque commodum omnium & singulorum Subditorum Regis *Magnæ Britanniæ*, qui in loco quocunque ad Dominia Regis Catholici spectante commorantur aut negotiantur, maximo quàm fieri potest cum favore extendentur.

X.

Quòd Naves & omnia alia Navigia ad Regem *Magnæ Britanniæ*, ejusve Subditos spectantia, ubi Dominia aut Portus Regis *Hispaniarum* versus tendunt, aut ingrediuntur, Visitationi, aut Excussioni per Ministros, & Mercium prohibitarum Censores, aut alios quoscunque, sive propriâ authoritate sive alienâ fretos, nullatenus subjicientur; neque ulli milites, homines armati, Officiarii, aut Privati quicunque Naves prædictas Custodiæ nomine, vel alio quocunque sub prætextu conscendent, aut intrabunt. Quæsturæ item Telonariæ Ministri, Naves aut Navigia alterutrius partis, ubi in Regiones, Dominia, aut Portus alterius appulerint, Visitatione, aut inspectione aliqua nullatenus gravabunt, usquedum mercibus impositis exonerata fuerint, aut illam saltem Mercium suarum partem in littore deposuerint, quam ex Declaratione Navarchæ in istum Portum destinari constiterit; Capitaneum, Navarcham, aut alium quempiam Socium, Vectorem, aut Nautam vel in Carcerem detrudere, vel Personarum, aut Scapharum suarum in littore detentione vexare ne fas esto. Interim tamen Quæsturæ Telonariæ Officiariis permissum est ex suo ipsorum numero nonnullos Navibus istiusmodi Custodiæ nomine, modò nulla Navis ultra tres

Custodes

Cuſtodes ſuſcipere cogatur, imponere; qui ne quid furtim exportetur, aut ſubtrahatur ante Solutionem Vectigalium ex Articulis hiſce exigendorum, invigilabunt; quibus quidem Officiariis in Excubiis agentibus Naves illæ & Navigia, Navarchæ item, Socii, Nautæ, Vectores, Mercatores, Factores, & Proprietarii omnibus Impenſis & Tributis Cuſtodiæ hujuſmodi cauſâ immunes erunt, nulloque omnino Onere eo nomine gravabuntur. Ubi verò Navarcha declaraverit integrum Navis ſuæ Onus in Portu aliquo exonerandum eſſe, Mercium dictarum omnium, quibus onuſta eſt, ratio in Regeſta Telonaria pro more hactenus uſitato, referetur. Sin autem poſt relationem in Regeſta factam plura inveniuntur in Navi Bona, quàm quæ in Regeſtis deſcripta ſunt, per octo dies utiles in quibus laborare fas eſt, (ab eo die à quo navis exonerari cœpit numerandos) expectandum erit ut Bona illa quæ occultantur in Regeſta Publica referantur, & eorundem Confiſcationi occurratur: Et caſu quo iſtiuſmodi Bona intra octiduum præfixum Relatione in Tabulas publicas, & manifeſtatione, quâ par eſt, non reteguntur, tum illa ſola, etiam Exoneratione Navis nondum finitâ, & nulla alia Fiſco addicentur; Ita tamen ut Mercator aut Proprietarius Navis iſtiuſmodi nullâ aliâ moleſtiâ afficiatur, aut aliam quamcunque Pœnam incurrat: Ubi verò Naves novum Onus in ſe receperint, liberè exire poterunt.

XI. Quòd

XI.

Quòd si qua Navis ad Regum prædictorum alterutrum, eorumve Subditos, aut Populos spectans, Portum aliquem in Terris aut Dominiis alterius intraverit, ibidemque, vel in Navium Statione aliquâ, Bonorum aut Mercimoniorum quibus onusta est partem aliquam in littus demiserit, ad alia loca sive intra Regis Confœderati Dominia, sive extra, cum reliquo onere destinata & festinans, Residuum Oneris quod nondum exposuit in publicas Tabulas referre nullatenus tenebitur, nedum Vectigali quoquam redimere, modò pro iis Bonis quæ in Portu aut Statione ubi subsistit Navis, exonerata sunt, Telonii Legibus fiat satis: Nullaque Cautio sive Fidejussoria, sive alia quæcunque pro Bonis quæ aliorsum devehenda habet, præstanda erit, ni quæstio de Felonia, Debito, læsâ Majestate, aut alio aliquo Crimine Capitali interveniat.

XII.

Quandoquidem semissis Vectigalium quæ Bonis & Mercimoniis Peregrinis in *Angliam* advectis imponuntur, ex lege remittendus & importanti refundendus est, si fortè illa ipsa Bona extra Regnum prædictum intra unum annum post primam eorum Exonerationem exportare quis velit, præstito prius Juramento quòd sint eadem numero Bona pro quibus Vectigalia jam inter importandum soluta sunt: Cumque Bona istiusmodi, etiam post Annum elapsum, sine ullo Vectigali aut Portorio secundâ vice solvendo, exportari è Regno quocunque

cunque quis velit tempore possint, Concluſum est, Quòd ſi qui Subditi Regis *Magnæ Britanniæ* ulla Bona vel Mercimonia, quocunque ſolo orta, aut cujuſcunque ſpeciei fuerint, in Portubus Regis Catholici quibuſcunque abhinc inposterum exoneraverint, illaque in Publicas Teloniorum Tabulas retulerint, Vectigaliaque juxta hunc Tractatum debita exolverint, & poſt aliquod temporis intervallum eadem Bona, aut aliquam eorum partem aliorſum tranſportare è Re ſua duxerint, ut foro magis quæſtuoſo utantur, illud Subditis prædictis omnino permiſſum & integrum erit, nullo alio Vectigali, Tributove pro Bonis iſtiuſmodi ſoluto aut exacto, præſtito tamen per Tranſportantem ad hoc requiſitum Juramento, quòd non alia ſunt, quàm illa-ipſa Bona pro quibus Vectigalia Importationis, ubi primum exonerabantur, ſoluta ſunt. Et ſi fortè Subditi, Populi, & Incolæ Dominiorum alterutrius partis vel in Terram demiſerint, vel penes ſe habuerint Bona aliqua, Mercimonia, Fructus, aut Facultates in Civitate, Oppido & Pago quocunque pro quibus Vectigalia juxta formam ſuperius præſcriptam reverà exoluta ſunt, & prædicta Bona, Mercimonia, Fructus, aut Facultates in aliam aliquam Civitatem, Oppidum aut Pagum intra Ambitum ejuſdem Dominii tranſportare apud ſe ſtatuerint, eò quòd iſto ubi exiſtunt foro uti è Re ſua eſſe non duxerint, hoc non tantum illis facere omnino integrum erit, & abſque ulla difficultate aut impedimento permiſſum, nulliſque Oneribus (iis quæ ad primum ingreſſum debebantur exolutis) gravabuntur: Quin ubi ex Certificatoriis Officiariorum Rem Telonariam Curantium exhibitis conſtiterit Portoria debito modo & formâ jam ſemel exoluta fuiſſe, eadem, aut alia quæcunq;

Vectigalia secunda vice in alio quopiam Portu exigi ne fas esto: Quæstores itidem præcipui, & Receptores Reditum suæ Majestatis Catholicæ, aut alii saltem Officiarii eo nomine Deputati, omni imposterum tempore Bonorum & Mercimoniorum ab uno in alium locum Transportationem fieri permittent, & Certificatoria luculenta dabunt Proprietariis eorundem, aut eorum Commissariis, Vectigalia de Jure debita jamjam ad primam exonerationem soluta esse: Quibus conspectis, exportari liberè poterunt, & alium quemcunque quis velit Portum, aut locum Portorio, & impedimento omni immunia intrabunt, uti superius provisum est, salvo semper Jure alicujus Tertii.

XIII.

Quòd Navibus Populorum & Subditorum alterutrius Confœderatorum in Oris, Fretis, aut aliis quibuscunq; navium stationibus ad alterum spectantibus, Anchoras figere, & in Anchoris stare permissum erit, neque tamen Portum vicinum ingredi ullatenus tenebuntur: Et casu quo Navis quæpiam vel vi tempestatis, vel metu Hostium, aut Pyratarum, aut aliquo alio casu adacta ipsum Portum subire necesse habuerit, modò constiterit illam ad Portum Hostilem cum Mercibus prohibitis, vulgò Contrabandæ dictis, haudquaquam destinari (cujus Rei sine luculentis Indiciis minimè postulabitur) ex Portu quandocunque lubuerit Navis istiusmodi solvet, & in alium sine impedimento quocunque revertetur: Eâ tamen lege, ut onus quod vehit illibatum maneat, nullaque ejus pars in Portu venum exponatur, aut distrahatur; ubi verò jacta est Anchora, & intra Portum sub-

ſubſiſtitur ad Viſitationis, aut Inquiſitionis cujuſcunq; moleſtias ſubmovendas, literas Salvi-conductus, aut alias Chartas itineris deſtinati, & oneris indices penes ſe habere & monſtrare ſufficiet: quibus quidem Officiariis alterutrius Regis, ubi res poſtulat, exhibitis & oſtenſis, Naves iſtiuſmodi abſque ulteriori moleſtatione ad iter propoſitum proſequendum dimittentur.

XIV.

Quòd Naves Bellicæ ſivè ad Regum prædictorum alterutrum, ſivè ad inſtructores privatos eorundem alterutri Subditos ſpectent, obviam factæ Navibus Mercatoriis, aut ſtatione aliquâ agentibus, aut in alto Mari vela facientibus, extrà tormenti majoris jactum ſubſiſtent, neque propriùs (ut hac diſtantiâ ſpolio & violentiæ occaſio omnis præcidatur) accedent; ſcapham verò ſi lubet, duoſq; aut tres ſolummodo Claſſiarios ad Mercatoriam emittent, quibus ubi Navem conſcenderint, literas Salvi-conductus exhibebit Navarcha vel Patronus Chartarum etiam Marinarum juxta formulam in calce hujus Tractatus ſubjiciendam conceptarum copiam faciet: Ex quibus non ſolum de mercimoniis quibus onuſta eſt Navis, ſed etiam de Domicilii & Reſidentiæ in alterutrius Regis dominiis loco, ut & de Navarchæ, aut Patroni, nec non Navis ipſius nomine certiores fient: Duabus quippe rationibus hiſce quales ſint merces Navi impoſitæ, an interdictæ ſcilicet, ſivè Contrabandæ, quis Magiſter, vel Patronus, qualis deniq; Navis ipſa ſit ſatis dignoſci poterit: Tales porrò literæ, & Chartæ Marinæ fide & authoritate eo magis indubitatâ valebunt, quòd tam ex parte

Regis Magnæ Britanniæ, quàm ex parte Regis Hiſpaniarum Certificationibus quibuſdam contraſignatis (ſi neceſſe fuerit) munientur: Quarum virtute authenticæ magis fient, & adulterinæ pro veris nemini obtrudi poterunt.

XV.

Siquæ Merces, aut bona prohibita è Regnis, Dominiis aut Territoriis alterutrius Regis exportantur per populos aut ſubditos alterius, in iſto caſu ſola bona prohibita, & nulla alia fiſco addicentur, neque aliam præter hanc pœnam incurret iſtiuſmodi Delinquens, ni forte è Regnis, aut Dominiis Regis Magnæ Britanniæ nummos, aut monetam Regioni propriam, aut lanam, aut etiam terram quam vocant Fullonum; ex Dominiis verò Regis Hiſpaniarum aurum, aut argentum, ſive ſignatum ſit, ſive non ſignatum, ſubducat, aut exportet: In quibus caſibus Regionis cujuſq; hinc inde leges vim ſuam, & effectum debitum obtinebunt.

XVI.

Quòd Populi & ſubditi alterutrius Regis ad Portus alterius accedere & appellere, ibidemq; ſubſiſtere & permanere, indeq; pari hinc inde cum immunitate emigrare poterunt: Idque non ſolum cum Navibus Mercatoriis, aliiſq; Navigiis Negotiationi aut Commercio inſervientibus, verùm etiam cum Navibus Bellicis hoſti tum reſiſtendo, tum offendendo comparatis; Navibus item vi tempeſtatis pulſis, tum reparatione, tum

tum commeatu, prout opus habuerint, inſtruendis incumbent, modò Navium ſponte ſubintrantium numerus juſtæ ſuſpitioni locum non dederit, quæ ſi bellicæ ſunt, numerum octo Navium haud excedent, neque longiorem intra Navium ſtationes, aut in Portuum vicinio moram trahent, quàm quæ Navibus reſarciendis, vel commeatu excipiendo neceſſaria æſtimabitur; multo minus in cauſâ erunt ut Commercia vel perturbentur, vel abrumpantur, aut Navium alius cujuſcunq; Gentis cum Rege iſtius Portus, ubi ſubſiſtunt, Pacem colentis, acceſſum, introitumve impedient. Ubi verò numerus plus ſolito magnus Navium Bellicarum caſu aliquo Portum aliquempiam appropinquaverit, eiſdem intrare ipſum Portum, aut in Navium ſtatione ſubſiſtere ne fas eſto, niſi obtentâ prius à Rege ipſo aut à Præfecto Portus intrandi licentiâ, ni fortè vi tempeſtatis abreptæ, aut imminentis per mare periculi cujuſpiam evitandi gratia eo loci protrudantur: Quo in caſu Præfecto Portus, aut loci Magiſtratui primario appulſus iſtiuſmodi quam primum fieri poterit, cauſæ exponentur, neque diutius ibi loci ſubſiſtent quàm Præfecto, aut Magiſtratui prædicto æquum & commodum viſum fuerit. Nedum quidquam hoſtile adverſus alios in eodem Portu agentes tentabunt, quod Regum prædictorum alterutri in præjudicium cedere poſſit.

XVII.

Quòd Conſœderatorum prædictorum neuter Mercatorem, Navarcham, Nauclerum, aut Marinarium quemquam, eorumve Naves, Merces, Pannos, aut alia bona ad alteram partem ſpectantia, dum in Por-

 tubus,

tubus, aut aquis alterius ſubſiſtunt, detinebit, impediet, aut virtute Edicti vel mandati, ſive Generalis, ſive Specialis, aut aliam ob cauſam qualemcunq; arreſtabit, aut ſuo-ipſius uſui inſervire coget, niſi Re cum altero Rege, aut ſaltem cum perſonis intereſſe habentibus prius communicatâ, eorumq; conſenſu & approbatione deſuper obtentâ: Quòd tamen ita intelligendum eſt, ut ordinaria Juris remedia juſtitiæ pro æquo & bono adminiſtrandæ opportuna ex hoc Articulo nullatenus fruſtrentur aut enerventur.

XVIII.

Quòd Mercatores, & Subditi Regis utriuſq; eorumq; Factores & Famuli, Naves item, Navarchæ, & Marinarii, tum eundo, tum redeundo, tam per Mare, & alias aquas, quàm in Stationibus, & Portubus alterutrinq; omnegenus Arma tàm ad offenſionem, quàm ad defenſionem comparata portare poterunt, & iiſdem uti, abſque ullâ obligatione Arma iſtiuſmodi in Publicas Tabulas referendi, Arma etiam Portatilia geſtabunt, ſi lubet, per Terram, iiſque in privatam defenſionem utentur, ſecundum conſuetudinem loci.

XIX.

Quòd nullus Capitaneus, Officiarius, aut Marinarius cujuſcunq; Navis ad Subditos aut Populos alterutrius Confœderatorum ſpectantis, quamdiu intra Regna, Dominia, Terras, Regiones, aut loca alteri obtemperantia diverſantur, litem intendet, aut damno vel præjudicio erit Navibus, Capitaneis, Officiariis, aut Mari-

Marinariis quos ſuos-ipſius Populares, aut Regi ſuo Subditos eſſe noverit, nomine mercedis, aut ſalarii, aut alio ſub prætextu quocunq; neque in ſervitium aut protectionem hinc Regis Magnæ Britanniæ, illinc Hiſpaniarum, aut ſuorum reſpectivè Armorum ſe ſub colore quocunq; ſubducet, aut excipietur: Quinimò ſiqua controverſia oboritur inter Mercatores & Navarchas, aut inter Navarchas, & ſocios Navales, totius rei arbitrium Gentis Conſuli committetur, ita tamen ut illi qui arbitrio Conſulis tanquam minus æquo haud acquieſcendum duxerit, integrum ſit ad Judices ordinarios Patriæ vel Domicilii ſui interpoſitâ appellatione, provocare.

XX.

Quò autem Mercatores & Negotiantes Regis Magnæ Britanniæ imperio Subditi, ſublatis tandem obſtaculis quibuſcunq; in Brabantiam, Flandriam, reliquaſq; Belgii Provincias Regi Catholico obtemperantes Commercii veteris reſtaurandi gratiâ denuò remeare poſſint, quia conſideratum fuit convenire ut omnes Leges, Edicta, Statuta, Ordinationes, & Acta, quibus Panni, & alia Mercimonia lanea opificio Anglico contexta, cujuſcunq; generis ſint, ſive coloribus tincta, ſive non tincta, ſive arte Fullonia elaborata, ſive non elaborata, in Flandriam, aliaſq; Provincias prædictas importari prohibetur; abhinc inpoſterum revocata, caſſata, & annullata ſint, omneq; Onus, Tributum, Portorium, Impoſitio, aut impenſa Pannis, aliiſq; Mercimoniis laneis in Angliâ manufactis, ſive ex permiſſu & conniventiâ, ſive aliter imperata & exoluta abhinc

abhinc inposterum cassa sint, & omninò nulla, exceptis tantum antiquis Portoriis super unaquaque Panni Anglici Telâ, seu volumine, ut & super cæteris pro Ratâ Mercimoniis laneis Opificio Anglico contextis juxta antiquos Tractatus & Concordata inter Reges Angliæ, & Duces Burgundiæ, alioſq; Belgii Præfectos, dudum impositis & usque continuatis; Utquè nulla idgenus Onera, aut Portoria Pannis, aut Mercimoniis laneis manufactis supra memoratis quocunq; sub prætextu inposterum imperentur, aut exigantur, Dicti item ut Mercatores & Negotiantes in Provincias prædictas, earumve Civitates & Urbes Negotiandi causâ commeantes, uti & eorundem Famuli, Factores, & Commissarii omnibus Privilegiis, Exemptionibus, Immunitatibus, & Beneficiis, quibus ullo unquam tempore antiquitus gaudebant, abhinc inposterum gaudeant & perfruantur, juxta vim & tenorem Tractatuum inter Reges Angliæ, & Duces Burgundiæ, alioſq; Belgii Præfectos dudum initorum; Consensensum itaque est quòd nominabuntur à Sereniſſimo Magnæ Britanniæ Rege Deputati, qui cum Marchione de *Castel-Rodrigo*, vel qui pro tempore fuerit earum Provinciarum Gubernatore, aliisve Ministris, sufficientem in hac parte Potestatem habentibus concurrent, & super iis omnibus (perpensa utriusq; Gentis utilitate) amicè tractent, & concludant, amplioribus item Mercatores Angli Privilegiis, Immunitatibus, & Exemptionibus præsenti rerum Statui accommodatis cumulabuntur, prout ex Negotiantium commodo & quæstu, ut & ex ipsius Commercii securitate in speciali Tractatu super hoc Negotio ineundo convenire visum fuerit.

XXI. Quòd

XXI.

Quòd Subditi & Incolæ Regnorum & Dominiorum Sereniſſimis Magnæ Britanniæ & Hiſpaniarum Regibus reſpectivè obtemperantium, cum omni ſecuritate & libertate Navigare, & Negotiari poterunt per omnia Regna, Status, & Regiones, quæ Pacem, Amicitiam, & Neutralitatem cum alterutro Regum prædictorum colunt.

XXII.

Libertatem verò illam impedimento, aut inquietatione aliquâ nullatenus interrumpent Naves aut Subditi dictorum Regum alterutrius ob hoſtilitatem quæ inpræſentiarum eſt, aut poſthac eſſe poterit inter eorum alterutrum, & Regna, Regiones & Status prædictos, aut illorum aliquem qui Amicitiam aut Neutralitatem erga alterum obſervat.

XXIII.

Et caſu quo in Navibus iſtiuſmodi Merces prohibitæ, vulgo Contrabandæ infrà deſignatæ, mediantibus rationibus ſupradictis, deprehendi contigerit, è Nave extrahentur, denuntiabuntur, & coram Judicibus Admiralitatis, aut aliis competentibus Fiſco addicentur, ita tamen ut Navis ipſa aliæq; liberæ Merces & permiſſæ quæ in inſtiuſmodi Navi reperiuntur, nullatenus ex ea cauſa arreſtentur, aut confiſcentur.

XXIV. Porrò

XXIV.

Porrò ut omni, quantum fieri poteſt, controverſiæ quæ oboriri poſſet circà Merces quæ pro vetitis & interdictis, ſeu Contrabandæ cenſendæ ſunt, obviam eatur, Declaratum & conventum eſt ſub iſto nomine comprehenſa eſſe omnia Arma ignita, veluti Tormenta Bellica, Bombardæ, Mortaria, Petarda, Bombi, Granata, Saleiſſæ, Circuli Picati, Tormentorum Suſtentacula, Furcillæ, Nitrothecæ Penſiles, Pulvis nitratus, Fomites ignarii, Sal nittum, & Glandes Tormentariæ: Sub eodem etiam nomine Mercium prohibitarum comprehenduntur reliqua omnegenus Arma, ut Haſtæ, Gladii, Galeæ, Caſſides, Thoraces, Bipennes, Jacula, & alia ſimilia: Prohibetur etiam eodem nomine Militum ut & Equorum tranſportatio, ut & eorum Armatura, Sclopeti, Ephippiarii, Balthei, & Inſtructus omnigeni ad Belli uſum comparati.

XXV.

Ad evitandam pariter omnem litis & contentionis materiam, Conventum eſt, ut ſub nomine Mercium interdictarum & Contrabandæ non comprehendantur Frumentum, Triticum, vel alia Grana, & Legumina, Sal, Vinum, Oleum, nec quicquam Nutrimento & ſuſtentationi vitæ ſerviens, ſed maneant libera, ut & aliæ omnes Merces Articulo præcedente non deſignatæ, quarum tranſlatio ad ipſa quoque inimicorum loca permiſſa ſit; Exceptis Urbibus & locis obſeſſis & circumſeptis.

XXVI. Con-

XXVI.

Conventum præterea & Concluſum eſt, Ut quicquid repertum fuerit oneratum à Subditis & Incolis Regnorum & Dominiorum alterutrius dictorum Regum Angliæ & Hiſpaniarum, in Navibus inimicis alterutrius dictorum Regum, quamvis Merces non ſit de interdictis, Fiſco addicatur cum omnibus cæteris quæ in iſtiuſmodi Navi invenientur, ſine exceptione, aut reſervatione.

XXVII.

Conſul ille qui impoſterum intra Dominia Regis Hiſpaniarum in Subſidium & Protectionem Subditorum Regis Magnæ Britanniæ reſidebit, ab ipſo Rege Magnæ Britanniæ nominabitur; qui quidem à Rege deſignatus, eandem potentiam & authoritatem in exequendo munere ſuo habebit, & exercebit, quam ullus uſpiam Conſul in ditionibus Regis Catholici hactenus conſecutus eſt: Pari modo Conſules Hiſpani in Angliâ Reſidentes eâdem fruentur authoritate, quæ alterius cujuſcunq; Nationis Conſulibus in dicto Regno hactenus eſt permiſſa.

XXVIII.

Ne autem Commercii Jura & Leges quæ in favorem Negotiantium tempore Pacis poſitæ ſunt, vi & effectu deſtinato careant, quod maximè timendum foret, ſi Subditis Regis Magnæ Britanniæ inter eundum,

redeundum, diverſandum in Dominiis & ditionibus Regis Hiſpaniarum circa Commercia, aut alia Negotia, moleſtia aliqua nomine Conſcientiæ crearetur, ut Commercia ſine diſcrimine ullo exerceri, & Negotiantes in tuto & tranquillo eſſe poſſint, Rex Hiſpaniarum prædictus tam Mari, quam Terrâ ſummopere cavebit & proſpiciet, ne Subditi Regis Magnæ Britanniæ moleſtiâ aliquâ afficiantur, aut inquietentur contra Commercii Jura, nevè eorum cuipiam gravamen aliquod inferatur, vel quæſtio moveatur Conſcientiæ nomine vel prætextu, modò ipſi vel aperto ſcandalo, vel offenſæ proterviâ in publicum non impingunt; & Rex Magnæ Britanniæ prædictus ob eaſdem rationes vice verſâ ſummopere cavebit, & proſpiciet ne Subditi Regis Hiſpaniarum ullatenus moleſtia aliqua afficiantur, aut inquietentur Religionis nomine aut prætextu, contra Commerciorum Jura, quouſq; ipſi vel aperto ſcandalo, vel offenſæ proterviâ in publicum non impingunt.

XXIX.

Quòd Regis alterutrius Subditi, Populi & Incolæ Mercimonia ſua intra Dominia, Territoria, Regiones, aut Colonias alterius Regis venum expoſita nummis æreis, aut cupreis vendere, aut diſtrahere nullatenus cogentur, neque eadem nummis, aut Rebus aliis quibuſcunque, quam quæ ipſis allubuerit, permutare, aut pretium Rei venditæ ulla alia ſpecie quàm illa de qua ſtipulatum eſt, Conventum eſt, recipere, lege aut conſuetudine quacunq; quæ tenori hujus Articuli adverſari poſſit non obſtante.

XXX. Mer-

XXX.

Mercatores utriusq; Gentis, eorum Factores, Famuli, Familiæ, Commissarii, aut alii Negotiorum Gestores, ut & Navium Magistri, Naucleri, & Nautæ, liberè & securè intra Regna, & Territoria alterutrius Regis, atque etiam in Portubus & Fluviis eorundem agent, & diversabuntur: Populi item & Subditi alterutrius Regis cum omni libertate, & securitate intra Dominia & Territoria quæcunq; alterius Ædibus & Domiciliis habitationi propriis, Officinis etiam, & Apothecis ad Bona & Merces excipiendas accommodatis gaudebunt, duranteq; illo termino, quo vel easdem sibi conduxerint, vel pro iisdem Contractum inierint, sine ullo impedimento perfruentur.

XXXI.

Incolæ & Subditi utriusq; Confœderatorum per omnia loca Regum prædictorum alterutri obtemperantia, istorum Advocatorum, Procuratorum, Notariorum, Sollicitatorum, Sequestrorum, & Pragmaticorum operâ & auxilio utentur, quos suo usui magis idoneos esse judicaverint, quibus etiam causæ illorum committentur ex consensu Judicum ordinariorum, quandò necessarium fuerit & pars litigans hoc requisiverit, neque cogentur libros rationum, aut Commentarios suos ullis personis exhibere, aut eorundem copiam facere, ni fortè litis aut evitandæ, aut terminandæ gratiâ veritati testimonium ex illis perhiberi possit: Arresti etiam, aut Sequestri nomine haudquaquam detinebuntur, ne-

que ullo alio ſub prætextu manibus proprietariorum extorquebuntur: Integrum etiam erit & omnino permiſſum Subditis utriuſq; partis libros quos habuerint rationum, & correſpondentiæ, in linguâ Anglicanâ, Hiſpanicâ, Belgicâ, aut alia quacunq; quæ ipſis commoda videbitur, perſcribere & concinnare, ita ut nulli moleſtationi, aut Inquiſitioni ſubjiciantur: Huc accedit in omne illud ab utraq; parte conſenſum eſſe, quod alteri cuicunq; genti circa libros rationum, Negotiationis, & Correſpondentiæ aliàs conceſſum eſt.

XXXII.

Quòd ſi fortè Arreſto aliquo, aut Sequeſtro manus injicitur in Bona cujuſpiam perſonæ ex authoritate Tribunalis cujuſcunq; intra Regna, & Dominia alterutrius Confœderatorum facultates, nomina, aut credita illa quæ in poſſeſſione reorum reperiuntur, ſi ad Populos aut Subditos alterius bona fide pertinere dignoſcuntur, Fiſco addici ex authoritate iſtiuſmodi Tribunalium haudquaquam poterunt, verum eadem legitimo proprietario in ſpecie, ſi fortè adhuc ſuperſunt, reſtitui oportet, ſin minus juſtus eorum valor juxta Pactum & Contractum inter partes initum intra tres menſes poſt iſtiuſmodi Sequeſtrationem exolvetur.

XXXIII.

Facultates & Bona Subditorum alterutrius Regis, qui intra Terras, Regiones, & Dominia alterius vitam cum morte commutaverint, Hæredibus, aliiſve vel ex Teſtamento, vel ab inteſtato ſuccedentibus (ſalvo cuicunque

cunque privato ſuo jure & actione) intacta ſervabuntur.

XXXIV.

Bona & facultates Subditorum Regis Magnæ Britanniæ, qui nullo condito Teſtamento vitam finierint intra Dominia Regis Hiſpaniarum, per Conſulem, aut alium Regis Magnæ Britanniæ Miniſtrum publicum in Inventarium redigentur, unà cum chartis, ſcriptis, libris rationum, & documentis quibuſcunq; quæ penes duos aut tres mercatores per dictum Conſulem aut Miniſtrum deſignandos, Proprietariis Hæredibus, aut Creditoribus tradenda deponentur, neque verò Conſilium Bullæ Cruciatæ, neque ullum aliud Tribunal de Bonis defuncti cujuſcunq; cognoſcet, neque iis ſe immiſcebit; quod etiam pari caſu reciprocè fiat in Anglia erga Subditos Regis Hiſpaniarum.

XXXV.

Honeſtus & commodus Sepulturæ locus concedetur, & deſignabitur inhumandis cadaveribus Subditorum Regis Magnæ Britanniæ, qui intra Dominia Regis Hiſpaniarum vitam cum morte commutaverint.

XXXVI.

Si qua verò Controverſia inter prædictos Confœderatos (quod abſit) impoſterum oboriretur, unde mutua Commercia, & reciprocam Correſpondentiam abruptum iri periculum foret, matura, hoc eſt, ſex menſium

ſium antequam ad hoſtilitatem devenitur, iſtius Rei utrinq; conſtabit denuntiatio, ut Merces & Facultates quiſque ſuas hinc inde habere poſſit, nulla interea moleſtatione, aut gravamine per detentionem, ſive Arreſtationem Bonorum vel perſonarum interpoſito.

XXXVII.

Omnia Bona, & Jura occultata, vel Sequeſtro poſita, Mobilia, Immobilia, Reditus, Actiones, Nomina, Creditâ, & ſimilia quæ præmiſſa cauſæ cognitione, & debita ſecundum Leges ordinarias condemnatione tempore concluſionis hujus Tractatus Regium Fiſcum nondum intraverint, Proprietarii ipſi, hæredes eorum, aut alii quibus jus competit, liberè & plenariè adminiſtrabunt, & de iiſdem unà cum omnibus eorundem Fructibus, Reditubus, Obventionibus & Emolumentis pro libitu ſtatuent & diſponent: Illi etiam qui Bona & Jura iſtiuſmodi occultaverint, ut & illorum Hæredes nulla per Fiſcum moleſtia hanc ob cauſam afficientur: Quin Proprietarii ipſi, aut eorum Hæredes, aut etiam illi quibus Jura eorundem competunt, eo nomine Actiones habebunt, & ſi lubet, intendent non minus liberè in Bona, cæteraq; prædicta, quàm in Res jure Proprietatis & Dominii ad ſe pertinentes.

XXXVIII.

Conventum & Concluſum eſt, Quòd Populi & Subditi alterutrius Confœderatorum prædictorum in Terris, Maribus, Portubus, Navium ſtationibus, Æſtuariis, & Territoriis alterius, aliiſq; quibuſcunq; locis, iiſdem planè privilegiis, ſecuritatibus, libertatibus, &

& immunitatibus, ſive perſonas eorum, ſive Negotiationes ſpectantibus gaudebunt & fruentur, quæ jam conceſſæ, aut imposterum concedendæ ſunt per Regum prædictorum alterutrum aut Regi Chriſtianiſſimo, aut Ordinibus Generalibus Provinciarum Belgii Fœderatarum, aut Civitatibus Hanſeaticis, aut Regno, vel Statui alii cuicunq; per ſuos Tractatus, aut Schedulas Regias, cum omnibus iſtiuſmodi Conceſſionum ſententiis, & Clauſulis, ſive Beneficium aliquod, ſive favorem ſpondentibus in modo & forma adeò ampla, atque ad omnem Contractus initi & ratihabiti effectum valente, ac ſi eædem in hunc ipſum Tractatum verbatim tranſcriptæ & inſertæ eſſent.

XXXIX.

Si autem Controverſiam aliquam ſuperdictis Articulis de Commerciorum ratione ſtatuentibus ab officiariis Admiralitatis, aut aliis Perſonis quibuſcunq; in alterutro Regno agentibus moveri contingat, querelâ per partem intereſſe habentem ad Regiam Majeſtatem, aut ſaltem aliquem Conſiliarium Regium delatâ, Rex coram quo agitur curabit ut damna ſine mora reſarciantur, & ut ſingula ſicuti ſuperius Concordatum eſt, executionem & effectum debitum ſortiantur: Et ſi fortè Tractu temporis fraudes aliquæ, aut inconvenientiæ ſe prodant in Commerciis, & Navigatione, quibus non ſatis ex his Articulis proviſum ſit & cautum, aliæ Præcautiones adhiberi poterunt, quæ rationi conſonæ utrinque videbuntur, manente tamen præſente Tractatu in ſua vi & vigore.

XL. Item,

XL.

Item, Concordatum & Concluſum eſt, Quòd dicti Sereniſſimi Reges Magnæ Britanniæ & Hiſpaniarum, omnia & ſingula Capitula in præſenti Tractatu Conventa & ſtabilita, ſincerè ac bonâ fide obſervabunt, per ſuoſque Subditos & Incolas obſervari & cuſtodiri facient, neque illis directè, vel indirectè contravenient, aut per ſuos Subditos & Incolas ut controveniatur conſentient: Omniaq; & ſingula ut ſupra Conventa per Patentes utrinque literas in ſufficienti, valida, & efficaci forma conceptas & confectas Rata habebunt, & confirmabunt, eaſdemq; reciprocè tradent, tradive facient bonâ fide, & realiter intra quatuor menſes à data præſentium numerandos; & curabunt exinde præſentem Pacem & Amicitiam locis & forma conſuetis (quamprimum fieri poterit) Publicari.

Matriti $\frac{11}{21}$. die Menſis *Maii*, 1667.

Formula

Formula Literarum Certificatoriarum quibus Urbes & Portus Maritimi Naves & Navigia inde ſolventia dimittant.

OMnibus & ſingulis ad quos præſentes literæ pervenerint. Nos Præfecti, Conſules, aut Supremus Magiſtratus, aut Teloniorum aut Cuſtuinarum Commiſſarii Urbis vel Provinciæ N. Notum teſtatumq; facimus, quòd N. N. Magiſter Navis N. coram nobis mediante ſolemni Juramento declaravit Navem N. dictam Tonnarum (aut eo circiter) capacem, cujus ipſe eſt Magiſter, ad Urbis N. N. Incolas in Dominiis Sereniſſimi Regis Magnæ Britanniæ jure Proprietatis & Dominii pertinere: Quoniam autem in juſtis ſuis Negotiis & itineribus benignè exceptum, & accommodatum vellemus, omnes & ſingulas Perſonas quibus dictum Magiſtrum vel obviam fieri, vel apud quos illum cum Navi ſua, & Mercibus ſuis appellere, aut ſubſiſtere contigerit, ut eum benignè admittant, humaniter tractent, eumq; ad, in, & per Portus, Oras,

Stationes Navium, Fluvios, de Hispania [illegible] meare, remeare, & negotiari, prout [illegible] illo interim Vectigalia, aliaque Tributa [illegible] rur exolvente, Permittant rogamus: [illegible] & benevolo animo, prout officiorum vices [illegible] rint, agnoscemus. In cujus Rei Testimonium præ[illegible] tes Literas manu signavimus, & Urbis nostræ Sig[illegible] muniri fecimus.

Guil. Godolphin.

Pedro Fernandez del Campo y Angulo

FINIS.